



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Alderspach Ordinis Cistercien.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13578

COLLEGIOR. PER BOIARIAM
ALDERSPACH ORDINIS
CISTERCIEN.

37

ALDERSPACHENSIS Monasterij primi fundatores fuerunt, Bernardus cum filiis, Ruperto & Calocho (familiam Auentinus non ponit) circa Annū Domini 1050. deinde expulsis popularibus mystis, instante Diuo Bernharo, ibidem ordo Cisterciensis instituitur, circa Annum 1147. Huic Monasterio tradidit Ludouicus Dux decimas ad castrum Framaring pertinentes, Anno 1224. Et Otto filius Ludouici donauit eidem Cœnobio decimas in Dechkendorf & Landau, Anno 1231. Anno 1204. Nobilis Baro Conradus ab Aist ibidem sepultus est, habet in clypeo lilium, de qua familia, & cuius nationis fuerit, nihil aliud reperio.

ADDITIONES

Monasterium *Aldersbachense*, quamuis primum & verum fundatorem sibi vendiceret *S. Ottonem* Episcopum Babenbergensem: qui, sicut ex literis eiusdem Anno Domini 1139. (quo viuere desit) patet, ad instantiam & petitionem *Afcuini* Præpositi & fratrum eius, Ecclesiam quam in loco isto edificare cepit, vnâ cum Ecclesia *S. Petri*, & decimis ab Episcopo *Patauiensi Reginaro* in permutationem aliorum septem Mansorum acceptis, atque cum positione quadam siluæ *Nortwald* (quæ modo *Hardt* appellatur) Deo & B. Petro Apostolorum principi obtulit, statuens vt inibi fratres secundum B. Augustini regulam degerent; quibus & jus eligendi Præpositum & Aduocatum indulgit: Constat tamen ex Priuilegio *S. Leopoldi* Marchionis Austriæ, qui anno 1136. ex humanis excessit retroactis temporibus Monasterium, asceterium sacrum, conditum fuisse ibidem, quò in loco Villagium extabat, *Allerspach* dictum, & ad minus in quatuor prædia partitum, quæ deinceps Monasterio accesserunt. Remisit dictus *D. Leopoldus* Marchio censum ex vinea in *Chrembs* ad Monasterium *Allerspach* pertinente. Alij quoque viri Nobiles & pij huic loco multa prædia & possessiones contulerunt, in quibus commemorantur *Rupertus* & *Calochus*, alijq; non tamen ideo ipsi veri ac primi fundatores sunt confendi.

Translatis postmodum aliorum Augustiniani Canonici, Monasterium religionis *Cisterciensis* Monachis cessit, & cum ista mutatione ordinis, Patroni quoq; mutati constitutique fuerunt, B. *Virgo Maria*, & *S. Iohannes Baptista*, cum B. *Virgula*: & ab isto tempore Cisterciensis familia Monasterio *Alderspachen*. vsq; in hodiernum diem potitur.

Priuilegium Ottonis Episcopi Babenbergensis.

OTTO Dei gratia *Babenbergensis* Episcopus *Alcuino Alderspachensi* Præposito; eiusque successoribus regulariter substituendis, in perpetuum. Quamuis secundum doctrinam Apostolicam, neq; qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat, Deus: nos tamen de misericordia Dei confidentes loca diuino cultui mancipata fouere & promouere studuimus; scientes quoniam vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. Quapropter dulcissime in Domino frater A Præposite, tuis & fratrum tuorum iustis petitionibus libenti animo consentientes Ecclesiam quam nos in loco *Alderspach* dicto fundare cepimus vnâ cum Ecclesia & decimis ab Ecclesia *Patauiensi* legitime commutatis, & cum parte si tuâ in *Nortwald* tibi assignata, pariterque cum omnibus alijs eidem loco quorumlibet fidelium oblatione

tionem iuste collatis, vel adhuc conferendis, Deo ac Beato Petro principi Apostolorum offerimus, statuentes ut ibidem Fratres secundum Regulam Beati Augustini religiosè cōuersantes in perpetuum maneant, qui perfectionis suæ meritis apud Deum, nostræ imperfectioni subueniant. Fratribus autem eisdem liberam facultatē concedimus, ut Præposito vel Aduocato suo decedente, alium quemcunq; voluerint Præpositum vel Aduocatum idoneum & competentē sibi eligant: quatenus salua proprietate & iure nostræ Ecclesiæ *Bambergensis*, nec non etiam debita subiectione *Patauiensis* Ecclesiæ, nulli licentia pateat exactionibus vel quibuslibet molestiis eos prægrauandi; sed quiete debita perfruente ita tēporaliter Domino militare valeant, ut & à Domino laboris sui mercedē accipiāt, & nos cum defecerimus in æterna tabernacula ab ipsis recipi mereamur. Omnibus beneficientibus, & hæc iura dicto loco seruantibus à Domino pax multiplicetur: contempторibus autem & transgressoribus huius nostræ institutionis, nisi secundo tertioque commoniti resipuerint, & excessus correxerint, in diem iusti iudicij Dei debita vindicta referuetur. Ut autem hæc nostræ institutionis pagina æquitate & iustitia roboretur, communi Fratrum nostrorum subscriptione, & Sigilli nostri impressione eam communiuimus. Huius autem rei & institutionis testes sunt dilectissimi Fratres nostri *Bambergensis* Ecclesiæ maioris Canonici, Eberhardus Præpositus. Egilbertus Decanus & Præpositus, Tiemo Præpositus, Kizelimus Præpositus, Cunradus Custos, Tuto Scholasticus, Magister Eberhardus, Volemarus, Vdalricus, Hermannus, Leopoldus, Perchtoldus, Henricus, Voltmarus, Pero, Chunradus, Meginhardus, Otto, Vdalricus, Otto, Vdalricus, Adalbertus, cum cæteris omnibus. Liberi autem homines: Rapoto Comes de Vranestorf, Eberhart, Heinrich, Megingoz & fratre eius de Vruslane. Adelbero de Stainach, Heinrich & Marcvart de Rohenhofstere. Ministeriales autem, Billunc, Gundeloch, Ezzo, Vto de Purgelin. Pero Herdegen, Solnant, Leopolt, filij eius de Wisentouue, Gotefrid, Tremo, Heinrich, filij eius de Aiske, Folnant Hartung de Missendorf, Vdalrich de Hadelogedorf, Rudolf, Gotbolt, Hartlieb, Arnolt de Osterhouen, Eberhard de Winzer, Rapato filius eius, Dietmarus de Podingen, Perchtolt de Tetlingen, Ridiger de Ebringen, & alij quamplures. Anno ab incarnatione Domini MCXXXIX. Indictione secunda. Acta sunt hæc Bamberg feliciter.

Priuilegium Regenberti Episcopi Patauiensis
Ecclesiæ.

IN nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis *Regenbertus* Dei gratia *Patauiensis* Episcopus *Astruvino* Præposito Beati Petri in *Alderspach* eiusque successoribus Canonicè substituendis in perpetuum. In arduo Pontificalis dignitatis culmine diuina fauente clementia constituti sollicitè pensare debemus, qualiter à cunctis qui sub nostro sunt regimine per legitimos tramites omnium calumniantium iniquitates propulsare valeamus, ut quemadmodum patres censemur nomine, ita comprobemur & opere. Quapropter dilecte in Domino frater *Astruvine* Præposite, tibi tuisque successoribus legitimis & fratribus vestris in *Alderspach* Deo inclinantibus præsentis scripti auctoritate tradimus denuo & corro-

corroboramus Ecclesiam cum decimis à Domino *Reginmario* bonæ memoriæ prædecessore nostro per interuentum fundatoris vestri Domini videlicet & patris nostri Venerabilis *Otonis Babenbergensis* Episcopi piæ recordationis, sub commutatione septem mansorum vobis collata, quatenus & vos perfectionis vestræ studiis imperfectioni nostræ apud Deum subueniatis, atque in æterna tabernacula cum defecerimus, nos recipiatis. Insuper omnia à prædicto loci vestri fundatore vobis tradita, vel aliis quibuslibet fidelibus collata vel conferenda sub nostram protectionem suscipimus, sub interminatione banni nostri præcipientes, ne aliquis ausu temerario vos infestare, aut vestra diminuerè præsumat. Statuimus etiam vt locus vester immunis sit omni tempore, ab omnimoda prægrauatione & exactione ordini vestro contraria. Adiciemus vt ibidem ordo vestræ professionis omni æuo illibatus permaneat. Liberam quoque facultatem per successiones personarum & temporum eligendi vobis Præpositum vel Aduocatum, quemcunque volueritis idoneum, quantum in nobis est, vestræ fraternitati concedimus. Omnibus hæc iura prædicto loco seruantibus gratia & pax multiplicetur, contentores autem & transgressores huius nostræ constitutionis tremendi iudicis iram incurrant, & excommunicationi perpetuæ subiaceant, nisi resipuerint, & ad satisfactionem venerint. Fiat, fiat Amen. Actum Anno Dominicæ incarnationis M. C. XXXIX. Indictione II.

Eugenij III. Papæ Priuilegium

EVgē ius Episcopus Seruus Seruorum Dei, Dilecto filio *Sifrido* Abbati Sanctæ Mariæ de *Aldersbach*, eiusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Religiosis desideriis dignum est facilem præbere consensum. Ea propter dilecte in Domine fili *Sifride* Abbas tuis iustis postulationibus clementer annuimus, & beatæ *Mariæ* Monasterium, cui Deo auctore præesse dignosceris sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communi-mus. Statuentes vt quascunque possessiones quæcunque bona idem monasterium in præsentiarum iustè & Canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis Deo propitio poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum videlicet in quo ipsum monasterium situm est. *Cumprechtungen, Aesingē & Gundoldingen*. Sane laborum vestrorum, quos propriis manibus aut sumptibus colitis, siue de nutrimentis vestrorum animalium nullus à vobis decimam exigere præsumat. Decernimus ergo vt nulli omnino liceat præfatū monasterium temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integra conferentur eorum pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt, vsibus omnimodis profutura. Salua sedis Apostolicæ auctoritate, & Diocæsani Episcopi Canonica iustitia. Si qua ergo in futurum Ecclesiastica secularisue persona hanc nostræ constitutionis paginam, sciens contra eam, temere venire temptauerit, secundò tertioque commonita, si non satisfactione congrua emendauerit, potestatis honorisque sui digni-

dignitate careat, reamq; se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à Sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini nostri aliena fiat: atq; in extremo examine districtæ ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco iusta seruantibus sit pax Domini nostri Iesv Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inueniant, Amen. Data *Alsfiodorj* per manum Gvvidonis S. R. E. Diaconi Cardinalis & Cancellarij, Idus Augusti, Indiæ, X. Incarnati Domini, Anno MCXLVII. Pontificatus Domini Eugenij III. Papæ anno III.

Priuilegium Domini Clementis Papæ III.

Clemens Episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus Ratispon. & Frisingen. Episcopis, salutem & Apostolicam benedictionem. Ex parte dilectorum filiorum Abbatis & Conuentus de *Aldersbach* in audientia fuit nostra propositum, quod nobilis vir *Albertus* de Kam jus aduocatiæ in monasterio & rebus eorum, licet frater ipsius per sententiam illud amiserit, sibi per iniuriam nititur vendicare, cuius occasione eis dampna plurima & iniurias irrogare præsumit. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus si verum est quod asseritur, militem memoratum ab eorundem fratrum vexatione indebita compefcatis, & vt ablata restituat, pro vt iustum fuerit, cum per censuram Ecclesiasticam postposita appellatione compellatis. Datum *Laterani*, VII. Idus Iulij, Pontificatus nostri anno primo.

Priuilegium Dni. Innocentij Papæ III.

Innoentius Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis *Ludouico* Abbati de *Alderspach*, eiusq; fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus apostolicum conuenit adesse præsidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incurfus aut eos à proposito reuocet, aut robur, quod absit, sacræ religionis infringat. Ea propter dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & Monasterium Sanctæ Dei genitricis & virginis Mariæ, in quo diuino mancipati estis obsequio, sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti Priuilegio communiuimus. In primis siquidem statuentes, vt ordo monasticus qui secundum Deum & Beati Benedicti regulam atq; institutum Cisterciensium fratrum in eodem monasterio institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur. Præterea quascunq; possessiones quæcunque bona idem monasterium in præsentiarum iustè & Canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis præstante Domino adipisci poterit, firma vobis vestrisq; successoribus, & illibata permaneant. In quibus hæc propriis diximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis. *Grangiam Strazze*, *Grangiam Wifling*, *Grangiam Gumprechtigen*, *Grangiam Atzenperge*, *Grangiam Prennebach* & *Grangiam Gneusendorf*, possessiones quas habetis in *Revvte*, in *Pentzing*, in *Celle*, in *Batricksperge*, in *Kaste*, in *Cirknarn*, cum pratis, vineis, terris, nemoribus, vsuatiis, & pascuis, in uosco & plano, in viis & semitis, & omnibus alijs libertatibus & immunitatibus suis. Sane laborum vestrorum quos propriis manibus aut sumptibus colitis, tam de terris cultis quam incultis, siue de hortis & virgultis, & piscationibus vestris, vel de nutrimentis animalium vestrorum nullus à vobis decimas exigere

gere vel extorquere præsumat. Liceat quoq; vobis clericos vel Laicos liberos & absolutos è seculo fugientes ad conuersionem recipere, & eos absq; contradictione aliquaretinere. Prohibemus insuper, vt nulli fratrum vestrorum possit factam in monasterio vestro professionem phas sit, absque abbatis sui licentia de eodem loco discedere. Discedentem vero absq; communium literarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Quod si quis retinere præsumpserit, licitum vobis sit in ipsos monachos vel conuersos regularem sententiam promulgare. Illud districtius inhibentis, ne terras seu quodlibet beneficium Ecclesiæ vestræ collatum, liceat alicui personarum dari siue alio modo alienari absq; consensu totius Capituli vel maioris aut senioris partis ipsius. Si quæ verò donationes aut alienationes aliter quàm dictum est, factæ fuerint, eas irritas esse censemus. Ad hæc etiam prohibemus, ne aliquis Monachus siue conuersus, sub professione vestræ domus astrictus, sine consensu & licentia Abbatis, & maioris partis Capituli vestri pro aliquo fidejubeat, vel ab aliquo pecuniam mutuo accipiat vltra pretium capituli vestri providentia constitutum, nisi propter manifestam domus vestræ utilitatem, quod si facere frater præsumpserit, non teneatur Conuentus pro hiis aliquatenus respondere. Licitum præterea sit vobis in causis propriis, siue ciuilem, siue criminalem contineant actionem fratrum vestrorum testimoniis vti, ne præ defectu testium jus vestrum in aliquo valeat deperire. Insuper auctoritate Apostolica inhibemus, ne vllus Episcopus vel qualibet alia persona ad Synodos vel conuentus forenses vos ire, vel iudicio seculari de vestra propria substantia vel possessionibus vestris subiacere compellat: nec ad domos vestras causa ordines celebrandi, causa tractandi, vel aliquos conuentus publicos conuocandi venire præsumat: nec regularem electionem Abbatis vestri impediatur, aut de instituendo vel remouendo eo, qui pro tempore fuerit contra statuta *Cisterciensis* ordinis se aliquatenus intromittat. Si verò Episcopus, in cuius parochia domus vestra fundata est, cum humilitate & deuotione, qua conuenit, requisitus, substitutum Abbatem benedicere, & alia quæ ad officium Episcopale pertinent, vobis conferre renuerit, licitum sit eidem Abbati, si tamen sacerdos fuerit, proprios nouitios benedicere, & alia quæ ad officium suum pertinent, exercere: & vobis omnia ab alio Episcopo percipere, quæ à vestro fuerint indebitè denegata. Illud adjicientes, vt in recipiendis professionibus, quæ à benedictis vel benedicendis abbatibus exhibentur, ea sint Episcopi forma & expressione contenti, quæ ab origine ordinis noscitur instituta: vt scilicet Abbates ipsi saluo ordine suo profiteri debeant & contra statuta ordinis sui nullam professionem facere compellantur. Pro consecrationibus vero altarium vel Ecclesiarum, siue pro oleo sancto, vel quolibet alio ecclesiastico sacramento, nullus à vobis, sub obtentu consuetudinis vel alio modo quicquã audeat extorquere: sed hæc omnia gratis vobis Episcopus Diocesanus impendat. Alioquin liceat vobis quemcumq; volueritis Catholicum adire antistitem, gratiã & communionem apostolicæ sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate, vobis quod postulatis impendat. Quod si sedes Episcopi vacauerit, interim omnia Ecclesiastica sacramenta à vicinis episcopis accipere libere & absque contradictione possitis, sic tamen vt ex hoc in posterum propriis Episcopis nullum præjudicium generetur: Quia verò interdum propriorum Episcoporum copiam non habetis, si quem Episcopum Romanæ sedis vt diximus, gratiam & communionem habentem, & de quo plenam noticiam habeatis, per vos transire contigerit, ab eo benedictiones vasorum & vestium, consecrationes altarium, ordinationes monachorum auctoritate apostolicæ sedis recipere valeatis. Porro si Episcopi vel alij Ecclesiarum rectores in monasterium vestrum vel personas ini-

Controuer-
siam

bi constitutas suspensionis, excommunicationis vel interdicti sententiam promulgauerint, siue etiam in mercenarios vestros, pro eo quod decimas non soluitis, siue aliqua occasione eorum, quæ ab ipsa Apostolica benignitate vobis indulta sunt, seu benefactores vestros, pro eo quod aliqua vobis beneficia vel obsequia ex caritate præstiterint, vel ad laborandum adiuuerint in illis diebus, quibus vos laboratis, & alij feriantur, eandem sententiam protulerint, ipsam tanquam contra sedis apostolicæ indulta prolatam, duximus irritandam. Nec literæ vllam firmitatem habeant, quas tacito nomine *Cisterciensis* ordinis, & contra tenorem apostolicorum priuilegiorum constititerit impetrari. Præterea cum commune interdictum terræ fuerit, liceat vobis nihilominus in vestro monasterio exclusis excommunicatis & interdictis diuina celebrare. Paci quoque & tranquillitati vestræ paterna in posterum sollicitudine providere volentes auctoritate apostolica prohibemus, vt infra clausuram locorum seu Grangiarum vestrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temerè capere, vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Præterea omnes libertates & immunitates à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus ordini vestro concessas, nec non & libertates, & exemptiones secularium exactioinum, à Regibus & Principibus vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti Priuilegio communimus. Decernimus ergò vt nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conferuentur, eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concepta sunt, vsibus omnimodis profutura. Salua sedis Apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisue persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire temptauerit, secundo tertioque commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sanctissimo corpore & sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subiaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus fiat pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen. Datum *Romæ* apud Sanctum Petrum, per manum Raynaldi Domini Innocentij Papæ III. Acolyti & Capellani X. Kalend. Aprilis, Indictione II. Incarnationis Dominicæ anno M. CC. XIII. Pontificatus vero eiusdem Domini Innocentij anno septimo decimo.

Priuilegium Domini Friderici Imperatoris super
amotione aduocati.

FRIDERICVS diuina fauente clementia Romanorum Imperator Augustus, in perpetuum. Quia nihil nobis adeò familiare est, sicut humanitas, eam ad omnes quidem, maximè tamen ob fauorem religionis, ad personas extendimus Ecclesiasticas. Inde est quòd nos Venerabili Fr. Eberhardo Abbati in *Alderspach* per se querenti Ecclesiæ suæ iniurias, iustitiæ suæ præbuimus audientiam. Conquestus

Conquestus siquidem est in auribus nostris, quod *Alyamus* de *Kambe* iniuste suam grauaret Ecclesiam, vendicans sibi quæ nullo ei jure competebat eiusdem Cœnobij aduocatiâ. Cum quenos eundem *Alyamum* *Nirnberg* conueniremus actione iniuriarum sub frequentia Principum in Consistoria dixit, se eandem aduocatiâ nomine beneficij tenere à dilecto consanguineo nostro *Otone Babenbergensi* Episcopo. Porro requisitus super hoc verbo prædictus Episcopus, asseruit, & legitimis testibus probauit in præsentia nostra, quod aduocatiâ hanc feudali jure ab *Alyamo* euicisset, quoniam certum fuit eum perpetrâ vsurpassè. Cum itaque præfatum Monasterium ab eiusdem *Alyami* iniuriôsâ vendicatione sit exemptum, petitione clerici consanguinei nostri præfati *Babenbergensis* Episcopi, constituimus vt si placuerit Abbati *Alderspacensi* defensorem rerum suarum eligere, in perpetuum in optione eius sit cum consilio Episcopi *Babenbergensis* idoneam sibi ad hoc onus inuenire personam, quæ si forte grauis ei fuerit & molesta, libera sit Abbati facultas alium eligendi, adhibito consilio Episcopi. Vt autem hæc rata & inconvulsa permaneant, & perpetuæ firmitatis vigorem obtineant, præsentem paginam sigilli nostri impressione, & idoneorum testium subscriptione roborauimus. Testes sunt *Rugericus Kameracensis* Episcopus, *Diepoldus* *Patauiensis* Episcopus, *Leupoldus* Dux *Austriæ*, *Berchtoldus* Marchio *Hystriæ*, *Berchtoldus* Dux de *Meran*. Comes *Berchtoldus* & frater eius *Vlricus* de *Berge*, Comes *Albertus* de *Eberstein*, Comes *Theodericus* de *Wasserburg*. *Conradus* Præfectus de *Nirnberg*. Comes *Heinricus* de *Altendorf*, *Fridericus* de *Truhedingen*, *Reinhardus* & *Eberhardus* de *Reiphenberg*, *Conradus* *Pincerna* de *Cipse*, *Conradus* *Dapifer* de *Rotenberg*, *Herdegno* de *Grindele* & alij quamplures. Datum apud *Nirnberg* Anno Domini M. C. LXXXIII. Indictione I. III. Idus Martij.

Priuilegium Dn. Philippi Romanorum Regis super
Aduocatiâ.

PHilippus secundus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, omnibus Imperij fidelibus tam præsentibus quàm futuris duximus innotescendum, quod constituti in præsentia nostra Abbas de *Alderspach* & confratres sui, dictante sententia obtinuit, quod juxta venerandam Ordinis *Cistertiensis* consuetudinem licitum sit ipsis super omnia bona monasterij sui quemcunque uoluerint eligere defensorem, & eundem etiam procedente tempore, si fortè idoneus & ipsis utilis non sit, ab ipsâ aduocatiâ remouere. Porro sententiam eandem diuinæ remunerationis intuitu auctoritate regia confirmantes statuimus, & sub pœna gratiæ nostræ districtè præcipimus, vt nullus hominum eam infringere audeat, vel occasione aliqua potestatem vllam super prædictorum fratrum possessiones, præter voluntatem eorum sibi vindicare: quod qui facere attemptauerit, iram omnipotentis Dei, & nostræ magnitudinis offensam se nouerit incurrisse. Datum apud *Babenberg*, II. Kalend. Martij. Indictione VI.

FVND. MONASTER. ET ALIOR.
Eiusdem Priuilegium de amotione Ad-
uocati.

Philippus secundus diuina fauente clementia Romanorum Rex & semper Augustus. Diuinam maiestatem nobis propitiam reddimus, si personis religiosis & locis diuino deputatis obsequio humanitatis nostræ acclinabimus fauorem, amouendo ab eis cuiuslibet in festatoris molestias regia protectione. Ea propter nouerit Christi & Imperij fidelium præsens ætas, & posteritas successura, quod accedentes ad præsentiam nostram sub frequentia Principum, apud *Nirnberg Eberhardus* Venerabilis Abbas in *Alderspach* cum confratribus suis quibusdam, Autenticum prædilecti patris nostri Friderici quondam Romanorum Imperatoris diui Augusti nobis exhibuerint, in quo manifestis cognouimus indiciis, quod memoratus abbas coràm ipso patre nostro recolendæ memoriæ monasterij sui aduocatiam jure omnimodo, & legitimis probationibus euicit à quodam *Alramo de Chambe*, qui eam sibi illicite, & nullo fretus jure, usurpauerat. Diuinæ igitur remunerationis intuitu ratum habere volentes & inconuulsam, quod Pater noster feliciter fanciuit, & à posteris suis statuit obseruandum, *Alramum de Chambe Alberti* filium, & omnes hæredes suos ab eadem Aduocatia, sicut prius est, nec non coràm nobis & Principibus, prorsus remouemus, & nullam sibi vel alicui in ea præstamus Warandiam. Cum enim juris sit eorundem fratrum in bonis suis assumere sibi quem voluerint aduocatum & defensorem, & ipsi ad hoc excellentiam nostram idoneam elegerint perpetuo defensionis vinculo eam nobis aduocatiam annectimus, à nostra & Imperij potestate nunquam alienandam. Ad huius autem facti robur hanc paginam conscriptam impressione sigilli nostri communiuimus. Testes huius rei sunt *Conradus Moguntinus Archiepiscopus, Diemo Babenbergensis Episcopus, Wolfgerus Pataviensis Episcopus, Otto Frisingensis Episcopus, Ludouicus Dux Bauariæ, Leupoldus Dux Austriæ, Berchtoldus Dux Moraniæ, Ekkebertus Præpositus, Fridericus Præfectus de Nirnberg, Diepoldus Lantgrauius de Leuckenbergh, Comes Luduicus de Oetingen, Comes Geucher de Tollinstain, Waltherus de Lobinhausen, Heinricus Marsalcus de* * Tollindin, & alij quam plures. Acta sunt hæc anno ab incarnatione Domini M. C. XCVIII. Indiæ. * Datum *Nirnberg* per manum *Conradi* regalis aulæ Protonotarij XV. Aprilis.

Priuilegium Domini Ottonis Regis Romanorum super
exclusionem Aduocatiæ.

Otto quartus diuina clementia Romanorum Rex & semper Augustus. Diuinam maiestatem nobis propitiam reddimus, si personis religiosis & locis diuino deputatis obsequio humanitatis nostræ acclinabimus fauorem, amouendo ab eis cuiuslibet in festatoris molestias regia protectione. Ea propter nouerit Christi & Imperij fidelium præsens ætas & posteritas successura, quod accedentes ad præsentiam nostram sub frequentia Principum apud *Herbipolim Ludouicus* Venerabilis Abbas in *Alderspach* cum confratribus suis quibusdam, autenticum Friderici gloriosi quondam Rom. Imperatoris diui Augusti nobis exhibuerunt, in quo manifestis cognouimus indiciis, quod memorati Abbatis antecessor *Eberhardus* nomine, coràm præfato Imperatore recolendæ memoriæ monasterij sui aduocatiam omnimodo & legitimis probationibus

nibus euicità quodam *Aramo* de *Chambe* qui eam sibi illicite & nullo fretus iure vsurpauerat, diuinæ remunerationis intuitu ratum haberi volentes & inconuulsum, quod prædictus Imperator feliciter fanciuit, & à posteris suis statuit obseruandum, *Aramum* de *Chambe*, *Alberti* filium, & omnes hæredes suos ab eadem Aduocacia, sicut prius factum est prorsus remouemus, & nudam sibi vel alicui in ea præstamus Warandiam. Cum enim juris sit eorundem fratrum in bonis suis assumere sibi quem voluerint aduocatam & defensorem, & ipsi ad hoc Excellentiam nostram idoneam elegerint, perpetuo defensionis vinculo eam nobis aduocatiæ adnectimus, à nostra & Imperij potestate nunquam alienandam. Ad huius autem facti robur hanc paginam conscripam impressione sigilli nostri communiuimus. Testes autem huius rei sunt, Hugo Hostiensis & Veltrensis Episcopus Cardinalis, sedis apostolicæ legatus. Conradus Spirensis Episcopus & aulæ regie Cancellarius. Otto Herbipolensis Episcopus, Manegoldus Patauiensis Episcopus. Siboto Huelburgensis Episcopus. Henricus Comes Palatinus. Ludouicus Dux Bauariæ, Leopoldus Dux Austriæ, Cunradus Marchio de Landsberch, Emicho Comes de Lirningen, Berchtoldus Comes de Hennenberg, Hartmannus Comes de Wirtenberg, Luduicus Comes de Oetingen, Heinricus Marscalcus de Challindin, & alij quam plures. Acta sunt hæc anno incarnationis Dominicæ M. C. C. IX. Indictione XII. Datum apud *Herbipolim* pridie Kalend. Iunij.

Fundatio S. Ottonis Babenbergensis

Episcopi.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, *Otto* Dei gratia XI. *Babenbergensis* Episcopus. Suo ordine Ministerium dispensationis nostræ exequimur, si latera Ecclesiæ nostræ super id quod possunt temptari non patimur. Nos itaque scientes *Aramum* de *Chambe* occasione aduocatiæ, quam sibi vendicabat, grauem esse cœnobio de *Aldersbach*, legitimis citatum induciis super iniuria eiusdem Ecclesiæ conuenimus. Tandem post multas hinc inde habitas controuersias, eum ab aduocacia, quam perperam feodali jure exclusimus. Quod factum in audientia Domini Imperatoris sub frequentia Principum *Nirnberg* legitimo testimonio renouando firmauimus. Cum itaque præfatum monasterium jam dicti *Arami* jurisdictioni sit exemptum, licet ei deinceps eligere quem voluerit defensorem suum, & rerum ei pertinentium, habito tamen consilio Episcopi *Babenbergensis* eiusdemque successorum. Totiens autem liceat ei pro consilio Episcopi commutare defensoris personam, quotiens eum perspexerit sibi minus idoneam. Ut autem hæc rata & inconuulsa permaneant, & perpetuæ firmitatis vigorem obtineant, præsentem paginam sigilli nostri impressione, & idoneorum testimonio subscriptione roboramus. Testes sunt horum: Theobaldus Patauiensis Episcopus. Leopoldus Dux Austriæ. Berchtoldus Marchio Ystriæ, Filius suus Berchtoldus Dux Meraniæ, Comes Berchtoldus & fratres eius, Vdalricus de Bergen, Comes Albertus de Eberstein, Comes Theodericus de Wasserburg. Conradus præfectus Nirbergensis, Comes Henricus de Altendorf, Fridericus de Truhedingen, Regenoldus & Eberhardus de Ripphenberch, & alij quam plures. Acta sunt hæc Anno Dominicæ incarnationis M. C. LXXXIII. Indictione I. Regnante inuictissimo Imperatore Friderico, præsidente XI. Babenbergensi Episcopo Ottone secundo.

Friderici I. Imp. confirmatio Ducis Lupoldi dona-

tionis Muræ.

FRIDERICVS Dei gratia Romanor. Imperator semper Augustus, Hierusalem & Siciliae Rex. Vniuersis Muriis suis apud *Danubium* constitutis, fidelibus suis, gratiam suam & omne bonum. Ex parte venerabilis Abbatis & Conuentus de *Aldersbach* fidelium nostrorum nostro fuit culmini humiliter supplicatum, vt gratiam & libertatem ab Illustri Duce *Leopoldo* felicis memoriae, super vectigalibus vini & victualium suorum per loca mutarum Ecclesiae suae indultam nostrae approbationis dignaremur. munimine confirmare. Nos itaque pietate solita, qua personis religiosis fauor adesse consuevit, deuotis eorum precibus fauorabiliter inclinati; gratiam & libertatem, quam ab eodem Duce *Leopoldo* in suis haecenus obtinuerunt priuilegiis, certa * victualia vini, & victualium suorum. eidem Abbati & Conuentui auctoritate praesentium duximus confirmanda. Mandantes * vniuersitati vestrae firmiter praecipientes, quatenus gratiam & libertatem eandem, & hanc nostram eiusdem indultae libertatis approbationem iuxta formam priuilegij sui praedictis fidelibus nostris in antea more solito conferueris: vt iustam de vobis non habeant materiam conquerendi. Datum apud *Viennam*, IX. Kalend. Febr. X. Indictione.

Priuilegium Ottokari Ducis Austriae, super
Muræ.

IN nomine Sanctae & indiuiduae Trinitatis, Amen. Nos *Ottokarus* Dei gratia Dux Austriae & Stiriae, & Marchio Moraviae innotescimus vniuersis dilectis nobis viris venerabilibus Fratribus in *Aldersbach*, Deo sub Monastica religione militantibus, pro remedio animae nostrae, ceterorumque progenitorum nostrorum hanc libertatem iure perpetuo indulsisse, vt bona sua quae eis de praedio suo prouenire poterunt, quod in Austria possidere videntur, in vino, frumento, vel quocunque emolimento, sine *haulo*, quod vulgo possumus dicere *mutam*, ad sua liberè deducant. Et nihilominus si quid ad opus praefati praedij eis necessarium fuerit, sub eadem condicione sine omni contradictione reducatur. Hoc autem ne processu temporis obsolescat, & succedentibus aliis in obliuionem cadat, praesentem paginam conscribi iussimus, & sigilli nostri munimine roborari, nominibus testium subnotatis, qui sunt: Otto & Chunradus de Hardegk, Otto de Sleuntz. Albero de Chunringen, Henricus frater suus dictus Göpanus, Henricus Pincerna de Halspack, Vricus frater suus, Otto de Missäve, Chunradus de Hintperch. Rudolphus de Potendorff, Otto de Potemburch, Henricus de Liechtenstein, Albertus de S. Petronella. Chunradus de Zelking. Otto de Perchtoldstorff, Perchtoldus de Engelshalsuelde, Vricus de Viechoüen, Otto de Walchuneskirchen, Henricus de Syvarzenssec, Ebranus de Eraspranne, Henricus de Geueld, Albero Dapifer de Holsperch, Henricus de Moresvvanck, Wolfkerus de Parovv. Chunradus de Greiffenstein. Item Bohemi, Lorisikh Purgravius de Ellpogen, Wolko Iohan de Wisthenavv, & alij quamplures. Actum & datum *Vienna*, Anno Domini M. CC. LIII. V. Kal. Octobr.

Confir-

Confirmatio Rudolphi Cæs. I.

RUDOLFVS Dei gratia Romanorum Rex Augustus, Illustri Comiti *Alberto* primogenito suo, vel alij, quicumque Princeps seu Vicarius terræ Austriæ pro tempore fuerit, gratiam suam & omne bonum. Ad hoc eminenti dignitatis specula nos locauit altissimus, quod licet vniuersorum fidelium nostrorum commoditatibus debeamus intendere, personas tamen religiosas in suis tenetur libertatibus & gratiis specialiter confouere. Sane cum Illustris quondam Dux Austriæ *Leopoldus* religiosus viris fratribus de *Alderspach* hanc gratiam duxerit faciendam, quod iidem fratres bona sua quæ ipsis de prædio, quod habent in Austria, poterunt prouenire in vino, frumento & alio emolimento quocunq; deducant liberè sine muta. Et nihilominus si quid eis ad opus prædicti prædij necessarium fuerit, sub eadem conditione sine qualibet contradictione reducant, prout in ipsorum Priuilegio plane vidimus contineri: Nos eosdem Fratres in concessis sibi libertatibus & iuribus conseruari volentes fidelitati tuæ mandamus, quatenus eisdem fratribus gratiam libertatis huiusmodi à Mutariis omnibus, & quibuscunq; aliis illibaram & inconuulsam per omnia facias obseruari. Datum *Ratisbonæ*, II. Idus Inniij. Indictione IX. Anno Domini M. CCLXXXI. Regni vero nostri Anno octauo.

Confirmatio Alberti Ducis Austriæ.

ALBERTVS Dei gratia Dux Austriæ & Sciriæ, Dominus Carniolæ & Marchio Portus Naonis. Vniuersis suis fidelibus gratiam suam & omne bonum. Deuotorum & Religiosorum virorum, videlicet Abbatis & Conuentus monasterij in *Alderspach* cupientes prouectum & commodum ampliare, ipsosque specialiter in suis libertatibus & gratiis confouere, id instar Illustrium quondam *Liupoldi* & *Friederici* Ducum Austriæ, nec non Serenissimi Domini & genitoris nostri karissimi Domini *Rudolphi* Romanorum Regis inuictissimi, fauorabiliter admittimus, concedimus, & indulgemus: Quod iidem fratres bona sua, quæ ipsis de prædio quod habent in *Austria*, poterunt euenire in vino, vel frumento, & alio emolimento, quocunq; deducant liberè, sine muta. Et nihilominus si quid eis ad opus prædicti prædij necessarium fuerit, sub eadem conditione sine qualibet contradictione reducant. Propter quod vniuersis vobis & singulis iniungimus firmiter & mandamus, ne quis vestrum dictos fratres in gratia libertatis huiusmodi præsumat aliquatenus impedire, vel ausu temerario prægrauare. Præsentium testimonio literarum nostri sigilli munimine munitarum. Datum *Vienna*, II. Non. Decemb. Anno Domini MCC. octogesimo quarto.

Priuilegium Domini Rudgeri Episcopi super libertate
mutæ in Parauia.

Rudgerus Dei gratia *Pataviensis* Episcopus in perpetuum. Tenore præsentium innotescat tam præsentibus quam futuris, quod nos dilectis in Christo fratribus Abbati & Conuentui in *Alderspach* indulgemus, vt naues ipsorum victualia deportantes liberè transire valeant *Patavia* sine muta, quibuscunq; rectoribus vel ductoribus existentibus in nauibus memoratis. Et ne super tali jure calumpnia in posterum ipsis debeant suboriri, præsentem paginam, sigilli nostri appensione & testium subscriptione ipsis dedimus roboratâ. Testes sunt hij. Cunradus Decanus. Cunradus maior plebanus. Meingorus de Saldegk. Vlricus de Memingē

Canonicus Patauien. Hadmarus de Wefen. Conradus de Volckenstein. Vricus de Lonstorff. Otto de Postmünster, ministeriales, & alij quamplures, Datum *Patauia* Anno Domini M. CC. XXXVIII. III. Non. Iunij X. Indictione. Acta sunt hæc sub Alberto Iudice *Patauia* existente.

Episcopi Rudberdi Priuilegium super domo Monasterij Alderspacen. *Patauia*.

IN nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. *Rudbertus* Dei gratia Ecclesiæ *Patauien.* Episcopus. Omnibus Christi fidelibus salutem in perpetuum. Multa quidem benè, illa vero per optimè collata pro Deo collata videntur beneficia, in quibus verus Christus honoratur, & virorum religiosorum, Deo seruientium indigentia releuatur. Itaque Dn. *Sigfridum* pium ac venerabilem *Alderspacen.* Monasterij Abbatem, simul & fratres suos libenter exaudientes in Domino, sub spe retributionis æternæ arcam quandam secus *Danubium* in *Patauia*, quæ nostri juris & proprietatis erat, fratribus nostris maioris Ecclesiæ Canonicis ea tradidimus condicione, vt eandem prædictus Abbas & fratres sui, eorumque successores à præsentibus & futuris *Patauiensis* Ecclesiæ Canonicis in perpetuum accipiant & obtineant beneficium. Veruntamen quia in circuitu nimis stricta & arcta fuit area prætaxata, ac Abbatis & Monachorum vtilitati minus poterat sufficere, aream adiacentem nos & fratres nostri de choro, ad quos spectat vtraque area, prædictorum Abbatis & Monachorum charitate deuicti in augmentum gratiæ super addidimus eisdem; eximentes easdem areas & domos construendas in eis ab omni exactione Stevvarum, quatenus prædicti fratres diuinis liberius vacent contemplationibus, dum easdem incolunt, & in suis necessitatibus possint proficere fructuosè. In quorum testimonium, ad perpetuam rei memoriam, præsentis paginæ testamentum, & subscriptarum testimonium personarum inde conscribi, & sigillo nostro muniri & in armario nostro contra obliuionem, & violentiam obtrectatorum præcepimus conseruari. Testes de Clero sunt qui aderant, *Sighardus* Decanus Scholarum Magister, & *Henricus* Chunzlinus archipresbyter, *Otto* Subdiaconus de *Ried*, *Fridericus* presbyter, *Pilgrinus* Gazvvinus, *Dietmarus*, *Albero*, *Gerhardus* &c. Ex laicis verò nobilibus *Rapoto* Comes de *Ortenberg*, *Dietricus* de *Pabingarten*, *Popo* de *Mezzing*, *Otto* de *Strubin*, *Rudgerus* de *Aheim*, & multi alij fide digni. Dar. & act. *Patauia* Anno Domini M. C. Sexagesimo quarto Kalen. Augusti.

Archiepiscopi de Salzburg super Sale nostro in Saling Priuilegium.

EBerhardus Dei gratia Salzburgensis Archiepiscopus Apostolicæ sedis Legatus omnibus præsentem paginam intuentibus, salutem in Domino Iesu Christo. Ne gesta rerum elabantur cum tempore modernorum ætas consuevit ea literarum testimonio perennare. Hoc igitur scripto notum facimus tam præsentibus quàm futuris quod defectum quem Cœnobium in *Aldersbach* in *Salibus* patitur attendentes moti visceribus pietatis eidem Cœnobio

bio obnostrorum prædecessorum & præpriorum veniam delictorum nudi Salis libram dimidiam Cuppullarum, quod ain halbs Pfundt fäderlein, vulgariter appellatur in Salma nostra tradidimus annuatim. Ita quod sæpedito monasterio dicta salis quantitas apud Salmam nostram annis singulis in festo Pentecostes ab officialibus nostris qui ibidem officium Salmæ pro tempore tenuerint assignetur. Et vt talis donatio perpetuo gaudeat robore firmitatis memorato Conuen. signum euidens hanc paginam dedimus sigilli nostri munimine obsignatam. Sunt etiam huius rei testes Rudgerus venerabilis Patauien. Episcopus, Otto Salzburgen. Præpositus, Waltherus Abbas in Raichenhaslach, D. Cellarius eiusdẽ Conobij, Dominus Gerochus de Salzburg, Dominus Æbhardus de Lengerbach, Dominus Heinricus de Harskirchen, Dominus Ortolfus Vulpis, Dominus Hertmundus de Noppingen, & alij quam plures. Datum huius apud Burchausen. VI. Idus Ianuarij. Anno Domini MCC. XLVI. Indictione III.

Absolutio à thelonio siue muta in Vilshouen.

NOS Heinricus Dei gratia Palatinus Comes Rheni Dux Bauariæ, præsentem litteram vniuersis ad quos peruenit declaramus, quod dilectis ac venerabilibus Abbati & Conuentui in Alderspach hanc fecimus gratiam specialẽ, quod vinũ eorũ ac etiam victualia quæ ad præbendam fratrum inibi seruientium spectare noscuntur, in muta nostra Vilshouen sine omni exactione liberum habeant transitum ac securum, siue per terram transeat vel per aquam. Vt autem talis nostra donatio ipsis permaneat inconuulsa, præsentem litteram Sigilli nostri robore communitam ipsis decreuimus assignare. Acta sunt hæc in Landau. Anno Domini M. CC. LVI. III. Idus Decembris.

Priuilegium Domini Heinrici Ducis Bauariæ super hoc quod duntaxat conueniri debeamus in Landau.

Heinricus Dei gratia Palatinus Comes Rheni Dux Bauariæ, omnibus per sui Dominij districtus præsentem litteram inspecturis Salutem & omne bonum. Quanto præminentiori titulo doratus est ordo Cisterciens. quantaq; deuotione professores ipsius Conuentum Ecclesiæ in Alderspach circa honorem nostrum promptos inuenimus & paratos, tanto ipsorum indẽmptnitati fauorabilius prouidentès ne secundum situm prædiorum per vexationes impetentium dispendiosè ad diuersa iudicia pertrahantur, ipsis de nostra gratia tenore præsentium specialiter indulgemus, vt si quis contra eos de causis quocunq; respectu prædiorum per nostros terminos habuerint actionem, coram iudice nostro de Landau qui pro tempore fuerit conueniri debeant, ac sine quolibet superfugio respondere. Datum in Landau Anno Dominicæ incarnationis M. CC. LXIII. V. Idus Ianuarij.

Priuilegium Dn. Nicolai Papæ III. propter Nobiles de Henzing.

NICOLAUS Episcopus Seruus Seruorum Dei, Dilecto filio Abbati Monasterij de Alderspach Superiori Ratisbonensis Diocesis Salutem & apo-

& apostolicam benedictionem. Conquesti sunt nobis Abbas & Conuentus Monasterij de *Aldersbach Cisterciensis* Ordinis, quod Wernardus Henricus & *Henricus* de *Henzing* Laici Pataviensis Diœcesis super terris, debitis possessionibus & rebus aliis ad Monasterium ipsum spectantibus injuriantur eisdem. Ideoque discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus partibus conuocatis audias causam, & appellatione remota debito fine decidas, faciens quod determinaueris per censuram Ecclesiasticam firmiter obseruari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili compellas veritati testimonium perhibere. Datum, *Roma* apud Sanctam Mariam maiorem, Idus Martij, Pontificatus nostri anno tertio.

Confirmatio Priuilegiorum.

IN nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Amen. *Otto* Dei gratia Comes Palatinus Rheni Dux Bauariæ, Omnibus præsentia inspecturis in perpetuum. Quia à Deo remuneratore omnium bonorum meritum recepturos non exiguum nos speramus, si eos alis protectionis specialius confouemus, qui diuino sunt obsequio mancipati, & pro nostra ac progenitorum nostrorum salute preces effundunt jugiter creatori. Sanè cognitis grauibus oneribus hospitalitatis, & rigida sui Ordinis obseruantia, quibus Ecclesia in *Aldersbach Cisterciensis* Ordinis se quotidie exercet, ipsam exemplo karissimi patris nostri *Henrici* diuæ recordationis Ducis Bauariæ, qui multis fauoribus eandem, vt ex ipsius manifestè Priuilegiis declaratur ditauit Ecclesiam & donauit, speciali gratia duximus prosequendam, ac gratiam à memorato patre nostro *Henrico*. Siquidem perpetua prohibemus inhibitione, ne aliquis prætextu juris alicuius aduocatiæ vel alterius cuiuscunque Herberg: procuratoribus pabulorum, vel exactionibus qualibuscunque prædia, aut homines eorum grauare præsumat, imò ab omnibus præstationibus realibus & personalibus eos liberos esse volumus & immunes. Item, vt præfatis famulis Dei quies securior præparetur, nolumus homines dictæ *Aldersbachensis* Ecclesiæ attinentes, imò etiam alios, siue aduenas sursum aut deorsum, venientes aut nobis duntaxat videlicet proprietatis titulo attinentes, & in prædiis dictæ Ecclesiæ residentes aliqua iudicium nostrorum, quærere placita, sed huiuscemodi homines siue Coloni superius expressi coram Abbate ipsius Ecclesiæ vel officiali suo juri stare in omni quam ad inuicem inter se habuerint materia contentionis, sed & alij extranei si forte aliquam aduersus supra nominatos colonos habuerint materiam contentionis similiter coram Abbate ac Officiali suprascriptis, tanquam forum rei sequentes volumus stare juri, ac exposcere complementum justitiæ ab eisdem, nisi forte dictus Abbas aut Officialis eius talibus negligeret justitiam exhibere, quo legitime probato, ad diffinitionem nostrorum iudicium eosdem recurrere volumus, & examen. Hoc tamen excepto, quod si homines memoratæ Ecclesiæ contra alium, qui extra condicionem, vt præmissum est, dicto Cænobio non attinet, quicumque talis fuerit, noster vel alterius, tunc examinatio vel diffinitio talis causæ ad Abbatem aut Officiales suos non pertinet, sed Iudex noster, quicumque fuerit, debet tales actiones cognoscere & iudicio terminare. Item si aliquis hominum

num

nam dicti monasterij, in furto, latrocinio, homicidio vel raptu, aut simili maleficio, quod ultimum supplicium vel pœnam sanguinis requirit, notoriè deprehensus fuerit, de talibus Iudex noster cognoscat, & cum morti addictus fuerit, omnes res contingentes prædialia prælibati monasterij, in quibus resederat, Abbati seu Ecclesiæ liberè ac pacificè remanebunt. Si vero res alias habuerit, de his congrua pars dabitur nostro Iudici, secundum quod discretis, qui præsentibus fuerint, videbitur expedire. In quorum omnium euidens testimonium atque robur præsens Instrumentum sigilli nostri munimine de karissimorum fratrum nostrorum *Ludouici & Stephani*, beneplacito atq; voto iussimus communiri. Datum apud *Straubing*, Anno Domini MCCLXXXV. Id. Decemb. Indictione VIII.

Priuilegium duorum Comitum de
Schawvbergk.

Bernardi & Henrici ex parte salis, & alia bona liberè sine muta in
Ascha pro Monasterio deducendi.

Wir Bernhard vnd Heintich von Schawvberg / thun allen den kunt / die diesen Brieff vernemmen / das wir durch besonder Liebe / die wir haben zu dem Erbaren Abte Heinrich von Aldersbach / demselben Gottshans die gnade haben gethan / doch zuuorderst durch Gott / den man ihne ein Pfundi Saltes des weiten Pans zu einem mahl in dem Jahr furn. Auch sollen sie herauff wider Wasser fürn vngemaut was ihnen würd Weins in ihren Weingärten / vnd was in Getraides würd auff ihren Aeckern / vnd soll das ihr Pott bewären das das vorgenant Gutz in worten sey auff ihren Aeckern vnd in ihren Weingärten. Was sie was bedörfften Alt oder New / die sollen auch vngemaut sürgehen. Sie sollen auch ihren Hof ob sie verbrünnen / oder so sawl wurden / das sie Zimmers bedürfftig / als vil sie notturfft darzu ist. Darumben geben wir diesen Brieff versiglet mit vnsern Insignien zu einem vrfundt mit disen Zezeugen / Der Erbar Abte Wolfram von Wils hering / vnd Bruder Haug / Bruder Gebhart von Aldersbach / Herr Anhart Sofft von Schawvberg / Herr Leupold / Heinrich vnd Bernhard die Brüder / Herr von Surt / Ludwig Schwer / Hartneit von Liechtenwindel / Ulrich vnd Lentolod Brüder von Mitterberg / Herr Stall von Inlbach / vnd ander Viderleuth / Der Brieff ist geben zu Schowen / nach Christus Geburt vber Tausent Jahr / zweyhundert Jahr / vnd in dem vier vnd achtzigsten Jahr / an S. Matthias tag.

Priuilegium Episcopi Ratisbonen. super donatione Iuris patronatus Ecclesiæ in Geirstal.

Nos *Cunradus* Dei gratia Ecclesiæ *Ratisponensis* Episcopus constare volumus vniuersis, quod cum Illustres Principes Domini *Otto & Stephanus*, Palatini Comites *Rheni*, Duces *Banaria* Ius patronatus parochialis Ecclesiæ in *Geirstal* nostræ Diocesis, quod eisdem Ducibus à progenitorum successoribus vsq; ad hoc tempus competeat in Venerabilem Abbatem & Conuentum seu Monasteriū in *Aldersbach* Cisterciensis Ordinis, *Pataviensis* Diocesis, plenè ac integraliter transfuderūt, & transtulerūt, ipsiq; idē jus patronatus purè propter Deū donauerint,

ac pro

ac pro se suisq; successoribus & hæredibus liberaliter assignauerint, perpetuo possidendum. Sicut quamprimum eandem Ecclesiam quantum ad eum qui nunc eiusdem Rector esse dinoscitur cedendo vel decedendo, seu per quemcunque alium modum deinceps vacare contigerit, ex tunc Abbas dicti Monasterij, qui pro tempore fuerit, suo ac Conuentus sui nomine nobis seu successoribus nostris Rectorem seu plebanū tanquam verus patronus ad ipsam Ecclesiam in *Gairstal* de cætero debeat & habeat præsentare. Nos ipsorum Dominorum Ducum deuotis precibus, præmissorumq; Abbatis & Conuentus supplicationibus fauorabiliter annuere cupientes, translationi, donationi seu assignationi huiusmodi nostrum adhibemus consensum, ipsamq; ratam & gratam habentes auctoritate ordinaria duximus approbandam. In cuius rei testimonium præsentem damus literas nostri sigilli munimine roboratas. Datum *Ratisbonæ*, Anno Domini MCC. Nonagesimo nono. VI. Kal. Septembr.

Imp. Ludovici, Bauriæ Ducis donatio Ecclesiæ
Münster.

Ludovicus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, Vniuersis Christi fidelibus præsentium inspectoribus, salutem in perpetuum. Cum incrementum & diuini cultus ampliationem pio fauore prosequi & singulari studio nostris temporibus generaliter & omnibus ordinibus intendamus, Hoc ipsum tamen singulariter & præcipue circa sacram religionem videlicet ordinem *Cisterciensem* eo magis & amplius affectamus, quo instantius & feruentius dictum ordinem in nostri Saluatoris obsequiis præ cæteris ordinibus vigere conspiciamus, & florere. Ea propter tenore præsentium profiteamur & constare volumus tam præsentibus quam futuris, quod ad honorem ipsius Dei ac redemptoris nostri Abbati & Conuentui monasterij in *Aldersbach* Patauien. Diæcesis, quo sacris studiis & contemplationibus inuigilare, & Deo quietius ob nostram, & nostrorum progenitorum salutem valeant famulari & hospitalitatis opera commodius exercere, Ius patronatus in Ecclesia *Münster*, in Dominio nostro *Griesbach* sita, Diæcesis prædictæ, quod ad nos pertinere dinoscitur, liberaliter concessimus & concedimus, donauimus & donamus. Ita videlicet quod quam primum discretum virum *Erasmum Pincernam* de *Anznkirchen* rectorem eiusdem Ecclesiæ & pastorem cedere vel decedere contigerit, vel alias vacare dicta Ecclesia ceperit, donatione nostra quam ex nunc constare volumus tunc in effectum plenam fortiatur & recipiat firmitatem. Sic quod Ius patronatus dictæ Ecclesiæ *Münster* cum pleno suo onere & honore in antea perpetuis vñibus memorati monasterij annectatur. In cuius rei testimonium præsentem literas nostræ maiestatis sigillo prædicto monasterio dedimus communitas. Datum in *Scherdinga* decima die mensis Februarij, Indictione vñdecima. Anno Domini MCCC. XLIII. Regni nostri anno vicesimo nono, Imperij verò sexto decimo.

Gotfridus Dei gratia *Patauiensis* Ecclesiæ Episcopus omnibus præsentem literas inspectoribus in perpetuum. Cum & plantare sacram religionem & plantatam fouere tradant Canonica instituta, id profecto exequimur, cum personis Deo dicatis sub regulari obseruantia Deo famulantibus charitatis stipendia largimur, vt ex augmento temporalium, sine quibus spiritualia persistere nequeunt tantò Deo feruentius famulentur, quanto apud se Dei gratiam conspiciunt largiorem. Sanè cum Illustres & Magnifici Principes Dominus *Ludovicus* Marchio

eho *Brandenburgensis*, & Dominus *Staphanus Dux Bauariae* preces suas nobis dire-
 xerint, vt Ecclesiã *Münster*, nostrę Diocesis, cuius ius patronatus quod ad ipsos
 ratione Dominij Ducatus *Bauariae* pertinebat, liberaliter & gratuite donaue-
 runt Religiosis Abbati & Conuentui Monasterij in *Aldersbach* Ordinis *Cistertien*,
 nostrę Diocesis. Sicut & quondam Serenissimus Dominus *Ludouicus* ipsorum
 genitor, prout in literis inde cõfectis cernitur, libere ordinauit, cum ratificatio-
 ne donationis prædictæ eidem Abbati & Conuentui suoq; Monasterio incorpo-
 rare, vnire, ipsorumq; præbendæ perpetuò annectere dignaremur. Nos eorum
 votiuis precibus inclinati dictam donationem Iuris patronatus ratificamus, &
 gratam habemus, & de Venerabilis Capituli nostri consilio & assensu ipsam Ec-
 clesiã *Münstern* prædictam, cum omnibus prouentibus redditibus, ac iuribus
 suis eidem Monasterio incorporamus, vnimus & annectimus. Ita quod quando-
 cunq; & quotiescunq; vacare contigerit, dicti Abbas & Conuentus nobis vel suc-
 cessorib; nostris vnum presbyterum secularẽ præsentare debebunt, qui de ma-
 nibus nostris institutionẽ Canonicã, & curam suscipiat animarum, quiq; de ob-
 uentionibus & redditibus dictæ Ecclesiæ, præfatis Abbati & Conuentui singulis
 annis sine omni cõtradictione & protractione in omnem euentum, non atten-
 tis seu allegatis quibuscunq; dampnis & defectibus, sub pœna infra scripta solue-
 & soluere debet viginti quatuor talenta denariorum in festo B. Michaëlis Ar-
 changelii immediate sequenti, de residuis vero fructibus & redditibus eiusdẽ Ec-
 clesiæ, in quibuscunq; consistant, quos se adhuc tam copiose cognouimus ex-
 tendere fide dignorum relatione, quos ad hoc deputauimus, quod idem perpetu-
 us Vicarius siue Rector decenter & benè transire poterit, ipse Sacerdotes &
 ministros pro Ecclesia & diuino cultu ac decentem familiam cum hospitalitate
 & honore debitis tenere, omniaque onera consueta cum quibuscunq; iuri-
 bus, exactionibus, seu requisitionibus Papalibus, seu Legatorum, delegato-
 rum, nunciorum sedis Apostolicæ, procuratoribus, collectis & subsidiis Archie-
 piscopalibus, Episcopalibus, iure Archidiaconi & Decani sustinere debet, si-
 ne quouis detrimento vel diminutione pensionis, dictis Abbati & Conuen-
 tui prædictis terminis tribuendæ. Adjicientes quod si idem Vicarius siue re-
 ctor dictam pensionem viginti quatuor talentorum in prænominatis terminis
 non persoluerit, & per sex dies statim sequentes, quos sibi vna cum interpella-
 tione terminorum præfatorum pro ammonitione Canonica præfigimus, con-
 tra voluntatem Abbatis & Conuentus; protraheret, ex tunc ipse Vica-
 rius; ab ingressu Ecclesiæ sit suspensus, præcipientes ex nunc Præposito Ec-
 clesiæ *Patauiensis*, vt etiam per grauiores pœnas & sententias, si necesse fuerit,
 possit & debeat autoritate nostra & successorum nostrorum procedere con-
 tra ipsum. In cuius confirmationis, donationis, & incorporationis ac singu-
 lorum testimonium, & euidentiã pleniorẽ præsentem literas conscribi, &
 sigilli nostri ac Venerabilis Capituli nostri de certa scientia autoritate ordina-
 ria duximus communiri. Datis & actis *Patauia* pridie Non. Maij, Anno Do-
 mini M. CCC. LI.

Confirmatio Alexandri Papæ IV. super Nidernobern-
 hausen.

Alexander Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filiis Abbati & Con-
 uentui Monasterij in *Aldersbach Cistertien*. Ordinis *Patauiensis* Diocesis, Sa-
 lutem & Apostolicam benedictionem. Cum à nobis petitur quod iustum est
 & honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, vt id per sollici-

rudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Sanè exhibita nobis vestra petitio continebat, quod R. quondam Episcopus Patauiensis Diocesisan vester Ecclesiam de *Nidernobernhausen* eiusdem Diocesis cum pertinentiis suis, in qua jus patronatus habebat, sui super hoc capituli accedente consensu, prout spectabat ad eum vobis in proprios vsus pia ac prouida liberalitate concessit, prout in literis inde confectis ipsius Episcopi sigillo munitis dicitur plenius contineri. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eodem Episcopo prouidè factum est ratum habentes & gratum, id auctoritate apostolica confirmamus. & presentis scripti patrocinio communitur. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum *Laterani*, II. Idus Februarij, Pontificatus nostri anno III.

ABBATES ALDERSPACENSES.

- I. **SIFFRIDVS** ex monasterio *Eboracensi* in *Francia Orientali*, monachus ibidem professus, cum quibusdam fratribus & conuersis *Alderspachium* destinatus vir magnæ religionis, & qui Monasterij moderamen vigilantia cura per annos triginta sex strenuè continuauit hic anno 1147 primum ab *Eugenio PP. III.* Apostolicum Priuilegium impetrauit: tandem plenus dierum in festo conceptionis gloriosa virginis, vitam cum morte commutauit. An. 1182.
- II. **EBERHARDVS** post obitum *Siffridi* electus, coram *Imp. Friderico I.* in *Comitijs Norimberge* anno 1183 habitis contra *Comitem Adalramum de Chamb*, qui sibi jus aduocatie super *Ecclesia Alderspacen.* arrogabat, sententiam obtinuit, & Priuilegium *Cæsareum* (An. 1184.) vt *Babenbergen.* Episcopi consilio libera sit *Abbati* potestas, iuxta ordinis *Cisterciensis* institutum, tutorem eligendi, quem idoneum iudicauerit, eundemque si grauis & molestus *Cenobio* fuerit, abijciendi, allumque assumendi. Vixit annis XVI. Ob. in vigilia *S. Bartholomai Apostoli*, anno 1199.
- III. **LVDVICVS**, Vir non vulgaris doctrine & experientie, jura & possessiones *Monasterij* non modo non distraxit, verum etiam auxit, priuilegia & plures libertates conquirendo. Ad huius *Ludouici* instantiam *Otto IV.* *Cæsar* Priuilegiū *Imp. Friderici I.* confirmauit: & *Comitem Adalramum de Chamb* ab aduocatia *monasterij* male usurpata penitus seclussit, reuocauit pastorale officium per annos XVII Ob. Id. April. An. 1216.
- IV. **NICOLAVS** nihil à religione & laudabili regimine suorum antecessorum declinauit. *Dux Bavarie Ludouicus* omnem decimam quorumcunque proueniunt ad *castrum Vremering* pertinentium (quod non longè à *Landa* tum nondum oppido distabat) ex *Ducali* munificentia donauit an. 1224 & *Dux Otto* filius eius omnem fructuum decimam in *granarijs Landa* & *Teckenadoff* accumulauit, anno 1231. Sub isto Principe *Ottone* *Ecclesia Allerspacen.* in *Ducum Bavarie* potestatem redacta est, vt illi non sit libera tutorem eligendi facultas, præter terræ principem. rexit *Nicolaus* annos XVII Ob. in festo *S. Lambertii* martyris, An. 1232.
- V. **ANSHELMVS** successit de cuius gestis parum inuestigari potest: *monasterium* in debita collapsum. Ob. circ. annum 1239.
- VI. **THEODORICVS** primò eligitur an. 1239: sub cuius regimini initio *Dns Eberhardus Salisburg.* *Archiepiscopus* *monasterio* dimidiam nudi sulis librā in oppido *Hallin* annuatim circa festum *Pentecostes* subministrandam, accedente consensu omnium *Canoniorum*, liberè donauit, an. 1246, cessit *Theodoricus* regimine an. 1253.

VII. **ALBER-**

- VII. ALBERTVS Prior in Raitenhaslach Theodorico subrogatur, quo clauum tenente Henricus Bauaria Dux Monasterium Allerspach apud oppidum Vilshouen ab omni exactione & teloneo de quibuslibet rebus eiusdem ibidem transuehendis absoluit, an. 1256. Albertus vixit parum supra quinq. annos. Ob. an. 1258.
- VIII. THEODORICVS defuncto Alberto denuò assumitur, rexitq. monasterium per decem & nouem annos. His temporibus fundatur monasterium Fürstenueld à Duce Bauaria Ludouico i cuius primus Abbas fuit Anshelmus Cellarius Alderspacen. Sed resignans officium in monasterium suum redijt. Theodoricus autem à Duce Baioarie Henrico priuilegium conquisiuit, vt in causis monasterij ac praediorum eius nullibi praterquam in Landauv apud Praesidem comparere teneantur. Ob. Theodoricus an. 1277. in crastino S. Briccij.
- IX. ALBERTVS sub Theodorico maior Cellarius monasterio praeficitur: qui ob causam nescitur quam, exacto vix triennio sponte cessit, & in Cella Principum diem clausit extremum.
- X. HENRICVS Bamberg. anno 1280. Dominica Inuocauit ex Conuentu Eboracensi Abbas constituitur, vir doctus, maturus, prudens, atq. ad singula negotia accommodatus. Ob. an. 1295.
- XI. HVGO Straubinga, de honesta familia oriundus per decennium Cella Principum Abbas. anno 1295 in die quatuor Coronatorum concordie electione ad Alderspacensem praelaturam transfertur: vir fuit maturus prudens & mansuetus, & magna rerum omnium experientia praeditus ita vt ad ardua Principum negotia adhiberetur Monasterio suo per tredecim ferme annos bene & utiliter praesuit. ac de Generali Capitulo ex Cistercio rediens, apud Monasterium Fontis salutis in infirmitatem incidit, & ibidem mortem obiit anno 1308. XVII Kal. Nouembr.
- XII. CVNRADVS ex Buduveis in Bohemia oriundus, eodem anno 1308 eligitur: vir doctus, sagax, & propter temporalium rerum experientiam superioribus Abbatibus preferendus. Cum monasterium XX annos & quod excedit gubernasset post vande-
mias ex Austria rediens infirmatus Ob. feria V. ante Pascha. An. 1330.
- XIII. HEINRICVS Abbas Cella Principum per tres annos, eligitur in Praelatum Allerspachen per Conuentuales. praesente Dno Alberto Abbate Eboracen Ob. anno regimini sui septimo, in crastino S. Bartholomaei Apostoli. Anno 1336.
- XIV. CHRISTIANVS concorditer electus per Dn Albertum Abbatem Eboracen. instituitur & confirmatur: vir maturus, & multarum rerum expertus: debita monasterij pro maiori parte redemit. Abbatia Sacellum instituit atq. sub Apostolorum Philippi & Iacobi memoria consecrari fecit. Praesuit duobus ferme an. Ob. VI Kal. Aug. An. 1338.
- XV. VLRICVS Stetinger ex Conuentu eligitur: post biennale regimen cessit, & multos annos superuixit.
- XVI. HEROLDVS eligitur in festo B. Laurentij, anno 1341. vir satis quidem maturus, senio tamen confectus: qui dum Patauia inter medicos commoratur, Ob. in festo S. Lucia, anno 1343. regimini tertio, sepultus in Monasterio Allerspach.
- XVII. CHVNRADVS Praelaturam accepit in die S. Damasi Papa, An. 1343. sub cuius regimine Monasterium in possessionibus nonnihil auctum fuit. praesedit per decem & septem annos. Ob. in Octaua S. Agnetis, An. 1361.
- XVIII. LIEBHARDVS Anno 1361. D. Gregorij festo praesidente Abbate Ottone de Eboraco, & assistentibus Cella Principum & Cella Dei Abbatibus. cum in electione non concordarent fratres (quia nimirum ex undecim fratrum Electorum votis sex pro se haberet,) per viam Compromissi datus & electus est Monasterij Abbas Liebhardus dictus Milt. burfarius: cuius electioni Henricus Liebianck Cellarius maior reclamauit: cui tunc Vistor Dns. Eboracen. Abbas silentium imposuit. Sed Henricus Auenionem

- profectus ut pratensum jus suum prosequeretur, defuncto Pontifice vacuus redijt. dūq; incautiū circa Monasterij limites diuaretur per Albertum de Nusperg Straubingē arreptus, per decem septimanas in castro Hilckersperg compedibus vincētus detentus, tandem interuentu Liebhardi Abbatis, factō prius juramento quod jus electionis prosequi cessaret, datis insuper obsidibus pro C. libris Ratūponen, denariorum, liber dimissus fuit. Sed promissimemor denuō ad Curiam proficiscitur, & ab Urbano Pont. Max. Mandatum Apostolicum impetrat, datis pro casse discussione iudicibus Friderico S. Nicolai Preposito, & Gundaccaro Patauien. Ecclesie Decano. Durauit ista contentio per annos quinq; integros, cum graui Monasterij iactura: & in Patauiensi quidem Curia an. 1365. Henricus contra Liebhardum prænauit sed appellatione ad Pontificem facta, Liebhardus cōfirmatus, Henricus verò tanquā Monachus procax, ebriosus, & reuē Monasterij dilapidator, dignis vindictis adiudicat⁹ fuit. Cessit regimini Liebhardus an. 1367.
- XIX HENRICVS** anno 1367. Kal. Iulij concordī electione fit Abbas: & cum annis quinque vtiliter præsuisset, vltro resignauit.
- XX. NICOLAVS** An. 1372 Abbas instituitur, rexit annis XXII circiter, cessit an. 1395. Ob. vt monumentum eius insinuat an. 1407.
- XXI. ANDREAS** Cella Dei Abbas, Monasterio Alderspacen, præsicitur circa annum 1395 quamuis non satis idoneus, tribus circiter annis præsuit. Et Dux quidem Albertus, monasterij ruinam atq; miseriam perpendens pro eius reparatione sub annum Domini 1394 secularē dispensatorem siue Præsētum Eglosium Schermer de Märckelkouen, virum probum, & qui pro suis laboribus nihil à Monasterio exegit, instituit, qui temporalium curam per quatuor annos administrauit. Andreas Abbas grandæuus. Ob. VII. Kal. Octobr. an. 1398.
- XXII. HEINRICVS** de Ekkarting oriundus, post obitum Andrea electus, decem annis præsuit; resq; Monasterij sub ipso fuerunt mediocres. Priuilegia quadam à Duce Henrico impetrauit: possessiones impignoratas ab Abbate de Cella Principum, & ab alijs redemit Ob. IV. Non. Decembr. An. 1408.
- XXIII. HENRICVS** in Osterbouen natus in die S. Syluestri ex Conuentu Allerspacen, elegitur: sub quo magna monasterio incommoda irrogata fuere. Anno 1410. Romanam Priuilegia quadam impetraturus proficiscitur, & Bononiam vsque veniens, ibi sub habitu, vt fama est, seculari per bienniu serē fecit: ac tandem reuocatus à fratribus, consumptis pecuniis vacuus ad monasterium redijt nihil autem melior factus aut Monasterio vtilior, à fratribus carceri mancipatur, & per Eboracē. Abbatem depositus, è monasterio eliminatur: profectus inde in Vngariam, vltra non comparuit.
- XXIV. IACOBVS** Abbas eligitur in festo S. Valrici, An. 1422. qui tunc possessionum Monasterij curam gerebat. Is in principio sui regiminis à Duce Boiaria Ioanne Conditores in temporali administratione accepit, Nobiles ac strenuos viros, Georgium Aichberger è Seldenavv. & Wilhelmum Fraunberger de Weinting. ad triennium: & sua libertati restitutus aliqua quidem pignora reluit; multas autem Monasterij possessiones impignorauit. Tenuit pastoralem curam annis nouem, Ob. Prid. Kal. Martij, Anno 1431.
- XXV. GODHARDVS** ex gremio congregationis Monasterij Alderspacen accessitō Visitatore Herimanno Abbate Eboracē eligitur, & confirmatur, vir probus & satis doctus (sed lepra mox à limine sui regiminis percussus). Animaduertens igitur morbum & defectus suos, nullique cupiens esse onerosus, cum præsuisset an. III. sponte cessit & resignauit in manus Dni. Iohannis de S. Cruce, Generalis Commissarij Ordinis, competente accepta sustentatione.
- XXVI. IOHANNES** in Monasterio Cella Principum professus, Godehardo substituitur, anno 1434. Prid. Non. Maij præsuit an. VIII & cum in regimine suo non

non solum non profecisset, sed maiorem etiam in modum defecisset, dignitate cessit, reuersus in eum unde venerat locum.

- XXVII. IOHANNES** cognomento Plüetlex Holtzkirchen, eligitur circa annum Domini 1442, vir sagax, quamuis minus facundus, sub cuius regimine Monasterium, quod iam ab annis octoginta se inclinare ceperat caput aliquantulum erigere cepit. In Concilio Basileen. impetrauit Anno 1444. vt Abbas mitra, annulo, cæterisque Pontificalibus insignijs vti possit, sacramque suppellectilem pro monasterij vsu benedicere; atq; in Ecclesijs ac Monasterijs subiectis, post Missarum solemnias, solemnem etiam benedictionem elargiri. Præsuit annos VI & quod excurrit. Ob X. die Mensis Martij, An. 1448. de Ecclesia sua bene meritus.
- XXVIII. IOHANNES PLÜER** Franco præficitur Monasterio die X. mensis Aprilis, An. 1448. vir impiger; qui rebus Monasterij interdum noctu inuigilauit, prædia distracta redemit: creditoribus multis satisfecit: & possessiones ab alienatas ferè ad plenum restituit: multa ædificia reparauit: aliqua de nouo construxit: & cum esset zelo religionis feruentissimus, religionem in suis Monasterijs subiectis intrepidè reformauit. Præsuit Monasterio Annos XV. menses VI. ac morti vicinus fratres ad se vocatos paternè atq; sollicitè ad concordem successoris electionem commonefecit. Ob in nocte exaltationis S. Crucis, An. 1463.
- XXIX. VIIVS** ex congregatione Alderspacen. electus in S. Dionysij festo eodem anno sufficitur. Vir probus & ad negocia gerenda promptus, senio tamen consecutus. Præsuit an. II. cum dimidio: & apoplexiæ actus resignauit: obiitq; adhuc in dignitate constitutus, in festo S. Floriani martyris, an. 1466.
- XXX. GEORGIUS** Conuentualis Alderspacen ex oppido Osterhouen oriundus, eligitur V. Id. Maij, an. 1466. honestus & deuotus in conuersatione; diligens in temporalium administratione: qui iugiter boni pastoris officium amplectens, fratres non verbo solum, sed viuo etiam exemplo semper ad meliora prouocauit. Præsuit Monasterio annis XX. minus tribus mensibus. Ob. Patauij sub Cura medicorum. an. 1486. VI. Calend. Febr.
- XXXI. SIMON** ad mandatum Ducis Baioaria Georgij diuinam Monasterij vacationem ingrati habentis, per Abbates in Cella Principum & Raitenhaslach, in vigilia annunciationis B. Virginis eligitur. Missi quoque ab eodem Principe adfuerunt Dn. Ioannes de Scala, & Doctor Petrus Paumgartner. Electus cum difficultate quadam confirmationem à Visitate obtinuit, qui electionem se absente factam grauer tulerit, non inutilis fuisset monasterio, si à vino sibi temperasset. Oppidum Rubmansfelden Dno à Degenberg oppignoratam reluit: & alijs modis multis Monasterio profuit. Circa finem suæ vitæ ob aduersam valetudinem aliquandiu mente captus fuit: antequam tamen in illam infirmitatem incideret, Ecclesiasticis ritè præmunitus Sacramentis, cum præfuisset annis quindecim cum dimidio, sexagenarius in die SS. Proti & Hyacinthi ex hoc seculo migravit an. 1501.
- XXXII. IOHANNES RIMER**, ex Vilsbouen oriundus, in die S. Francisci dicti anni, presidente Visitate Abbate Ethracen. eligitur. magnum æs alienum contraxit: multa prædia & possessiones ac census Ecclesia alienauit. Oppidum Rutmansfelden cum Michaële Abbate Cella Principum pro nonnullis possessionibus, in limitibus Naternpcrg situatis permutauit anno 1503. Ob. Patauij an. 1514. quinta die Maij suus ad Monasterium reductum, ibi sepelitur.
- XXXIII. WOLFGANGVS** Marius annos tunc quadraginta natus Anno 1514. eligitur 2. die Iunij, presentibus Visitate Abbate ex Eboræ. & assistentibus Georgio ex Raitenhaslach, à Principe deputato, & Georgio Cella Principum Abbatis: presente etiam Henrico à Seibolsdorff apud Vilsbouen Ducali Præsente. Vix triennio peracto creditoribus singulis satisfecit, & non vilem impignoratorum partem

- preempto are absoluit: sed & nonnullos census qui scribarum Laicorum incuria neglecti per multos annos erant & ex libris censualibus prorsus eliminati, diligenti registrorum collatione in Monasterij usus reduxit: facta quoque antiqua tecta restituit & aliqua de nouo necessaria erexit: anno 1529. nouum dormitorium perfecit. Hic ipse Abbas diemq; extremum clausit 11. Octobr. an. 1544.
- XXXIV. IOANNES Zanckler presuit an. circiter 8. è viuis sublatu 7. Iunij, an. 1552.
- XXXV. BARTHOLOMÆVS Madarver, elig. 11. Iulij, an. 1552. cum presuisset an. 27. moritur die 25. Aug. An. 1579.
- XXXVI. ANDREAS Haydecker ex Monasterio Keyserheim postulatus an. 1579. an. septem & quod excurrit pralaturam gessit, resignauit die 25. Octobr. an. 1586.
- XXXVII. IOANNES DIETMAIRVS ex Monasterio Fürstenfeld ad Pralaturam Alderspacensem à prædecessore resignatam electus die 25. Octob. an. 1586. SS Theolog. D. magnorum Theologorum iudicio & in heis admod. Reuerendi & Magnifici Dn. Alberti Hungeri Procancellarij Academiæ Ingolstadien. nec non Reuerendi admod. P. Gregorij de Valentia Soc. IESV de religione Catholica optimè promeriti, fel. recordat. Vir nulli sui cui & ordinis quâ quâ doctrina secundus, Abbatiam præter, Visitatoris quoq; sui ordinis muneri sibi demando uti liter, magnaq; cum laude gessit an. prope quinque. vltra viginti pie defunctus die 22. Ianuarij An. 1612. durantijs, quibus patria bono intererat Monachij Prouincialibus Comitibus.
- XXXVIII. MICHAEL Abbas modernus. Cui ob spectatam hætenus in Deum pietatē, ac de suo ordine subditū, adeoq; omnibus benè promerendi indefessum studiū, boni omnes fauens NVMEN exorant.

ALTENHOCHENAV.

HOC Cœnobium sacrarum Virginum ordinis D. Dominici, fundauit Conradus Com. Wasserburgen. vnâ cum Kunegunda coniuge, qui Hofmarchiam Altenhohenau à Monasterio Rott, permutando cum Moshaim, acceperant, &c. tradentes eandem Hofmarchiam, cum omnibus suis pertinentijs Monasterio dicto, Anno 1235. Confirmauit hanc fundationem Gregorius Pontifex Max. & Fridericus Romanorum Imperator,

Hæc priuilegia denuò confirmauit Stephanus, Comes Palatinus Rheni, Dux Bauariæ, Anno 1400. postridie S. Vlrici.

ADDITIONES.

A. **I**N nomine Sacrosanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Chunradus Dei gratia Comes in Wasserburg, omnibus in perpetuum, Amen. Cum vtique quilibet mortalium ad promerendam vitam æternam bonis studere debeat operibus, & de peccatis suis abolendis gratum Deo, ac animæ suæ salubre facere remedium; nos ea propter diuino amore accensi, nouellam plantationem fororum ordinis S. Sixti, consilio Prædicatorum, & aliorum prudentium virorum, in veteri Hocheuauv inchoauimus. Et quia eandem Curiam, & Curiam quæ Moshaim vocatur, cū suis appendicijs Ecclesiæ Rotensin testamento dederamus, alteram post mortem, videlicet Moshaim: alteram post mortem nostram & vxoris nostræ, scilicet Hocheuauv; jam dictas Curias à prædicta Ecclesia, mediante eiusdem Ecclesiæ Domino Henrico Abbate, datis alijs possessionibus nostris per cōmutationem, aboluimus. In remissionem igitur omnium peccatorum nostrorum, & vxoris nostræ Chunegundæ, de plena voluntate ipsius, prædictas Curias, cum agris, pratis, pascuis, syluis, & omnibus alijs appendicijs suis, cultis & incultis, liberè, & sine omni iure aduocatiæ, & qualibet vexatione contradimus volentes, ne prædicta donatio propter superuenientem filiorum natiuitatē, vel propter enormitatem donationis possit infirmari. Et ne aliquid possit in posterū prædictæ donationi opponi, vel dubitari de illa; ipsam auctoritate præsentium, & muni-